

400

398

404

oris peregrinorum, de quorum labiis quaedam pinguedo remanet  
in lapidibus deosculatis. In hoc ergo loco, dum beata Virgo  
Maria visitatis quodam die locis sanctis consisteret, advenit  
Gabriel angelus, eamque officiosissime iterum per Ave salutavit,  
praenuntians ei instantem obitum et transitum ex hoc mundo  
ad patrem. Veni, inquit, gloriosa Domina, ad eum, qui ex  
te natus est, receptura materni uteri pignora, educationis  
mercedem, lactis et escae vicissitudinem, laborum retributio-  
nem, passionum remunerationem; erisque gloria beatorum,  
arca salvandorum, fons fluctuantium, bacillus imbecillium,  
scala ad coelos ascendentium, propitiatrix peccantium, et  
auxiliatrix omnium te invocantium. His dictis tradidit angelus  
Virgini ramum palmae speciosissimae missum de paradiſo, in  
signum perfectae victoriae supra humani generis inimicum, et  
supra dolores et terrores mortis, jubens ramum hujus palmae  
ante feretrum deferri. Tradidit insuper ei vestimenta funebria  
supra humanam aestimationem carentia, in quibus mori,  
sepeliri, et in coelum ascensura esset. Et his peractis in  
coelum ascendit. In hoc ergo loco dictis orationibus praescrip-  
tis terram deosculati sumus et indulgentias accepimus (†).

De monte Galilaeae, qui est pars montis Oliveti, in quo  
Dominus post resurrectionem discipulis apparuit.

Deinde relicto loco præsentationis palmae per jugum  
montis contra aquilonem processimus et usque ad cornu montis  
Oliveti, ubi contra aquilonem finem facit, venimus ad supercilium  
montis; ibi multos cumulos lapidum invenimus, et locum  
orationis. Dicitur enim, quod tempore Christi ibi fuerit villula,  
dicta Galilaea, in qua promisit Dominus tempore sua passionis,  
se apparitum discipulis in die resurrectionis. Quando dixit  
Matthaei 26: Postquam surrexero, præcedam vos in Galilaeam. Dicunt enim quidam, quod Dominus promittens se  
post resurrectionem discipulis apparere in Galilaea, aliquando loquebatur de illa villa Galilaea, aliquando vero  
loquebatur de provincia, Galilaea dicta, quia utrobiqueappa-  
ravit. De villa Galilaea loquebatur Matth. 26. et angelus  
**(148 A)** ibidem 28. dicens mulieribus, ut dicerent discipulis,  
ut eant in Galilaeam, ibi eum essent visuri. Et ecclesia

25

Ende

Anfang

